iat. Si tempus conſideremus, frigus eſſe non poterat. Sed frigus erat ubi iheſus non
agnoſcebatur, ubi non erat qui lucem uideret, ubi negabatur ignis qui conſumet.
Frigus ergo erat mentis non corporis. Denique ad carbones ſtabat petrus, quia
algebat affectu. Mala flamma iudaica, urit non calefacit. Malus
focus, qui quondam cum ſectorum mentibus fuligine erroris aſpergit, iuxta quem cum
petri interiores oculi caligarunt. Illi oculi non carnis et ſanguinis, ſed
oculi mentis quibus chriſtum uidebat. Dicit aliquis: Tu iudeorum contra elementa conde
nas. Non condemno elementa, quia non ſunt iudeorum elementa ſed chriſti. Sed alia eſt
quam condemno flamma perfidie. Hanc flammam condemno iudeorum, di
uina ſecutus oracula. Dicit enim dominus: argentum uestrum reprobum eſt. Si ar
gentum reprobum eſt iudeorum, et focus reprobus iudeorum eſt. Denique foco
et auro iudeorum caput uituli figuratum eſt, hoc ſacrilegii principatus.
Sed uideamus negandi tenorem, quem inter euangeliſtas uideo eſſe diuerſum. Ita
nouum fuit petrum potuiſſe peccare, ut peccatum eius nec ab euangeliſtis
potuerit comprehendi. Itaque petrum prodentem ancille quod ex illis eſſet qui
cum iheſu galileo erant, prima uoce matheus poſuit reſpondiſſe: ne
ſcio quid dicas. Hoc et marcus qui ſecutus eſt petrum, et ex ipſo potuit ue
rius cognoſcere. Prima uox negantis eſt petri, qua tamen non negare
dominum, ſed a proditione ſe ſeparaſſe mulieris uidetur. Quod tamen negauerit
conſidera. Ex illis utique ſe eſſe qui cum iheſu galileo erant, uel ut marcus po
ſuit cum iheſu nazareno. Hunc quidem cum dei fuiſſe ſe filio. Hoc eſt dicere neſci ∴ negauit
o galileum, neſcio nazarenum, quem dei filium noui. Habeant homines
locorum uocabula, dei filium patria non poteſt nuncupare, cuius maieſtatem
locus nullus includit. Et ut ſcias uerum hoc eſſe, et exemplo probatur.
Nam alibi cum interrogaret dominus diſcipulos quem dicerent eſſe homines filium ho
minis, alii heliam, alii ieremiam dixerunt aut unum de prophetis, petrus autem
ait: Tu es chriſtus filius dei uiui. Hunc quidem et ibi negauit, quia chriſtum non hominis
filium ſed dei maluit confiteri. Certe quod hic putamus ambiguum, quod et chriſtus pro
bauit et aliud accipe. Interrogatus petrus et tu ex illis es qui cum iheſu
galileo erant, ubi gentilitatis refugit. Non enim erant qui eſſe ceperunt.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20312 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20312)